





DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
DE
Q V E R E L A
IN OFFICIOSI FRATRVM
CONSANGVINEORVM,

Q V A M
INDVLTV INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
P R A E S I D E
DN. IVST. HENNING. BOEHMERO, Ic.
POTENTISS. BORVSSOR. REG. A CONSILIIIS INTIMIS
PROF. PVBL. ORD.

PATRONO SVO OMNI ANIMI SVBMISSIONE COLENDO,
P R O L I C E N T I A
SVMMOS IN VTROQUE IVRE OBTINENDI HONORES,
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
D. IANVAR. MDCCXXI.

H. L. Q. C.
ERV D I T O R V M E X A M I N I S V B M I T T I T
M. IOANNES PAVLVS TÜRCKE,
ALTENBURGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.
M D C C X X I I.

5)

Q V E R E A
I N O F F I C I O S I P R A T R I V M
C O N S A N G V I N O R V M

IN R E G I A F R I D E R I C I A N A
P R A E S I D E

D N I W I L H E L M I C O B O H M E R O I
R O M A N O R U M I M P E R A T O R I S
A R C H I E P I S C O P I M A G N I

P R O C U R A T O R I S
I N T R O V E N T U R I S
E T P R I M I C I A P O S T U L L I
D I T A R V A E M E C E N S I

M I O R A T U S T R I V I S S A N S

H A A S M A G N I P O L I E





DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
QVERELA INOFFICIOSI
FRATRVM CONSANGVI-
NEORVM.

§. I.



constans plerorumque interpretum iuris Communis
est traditio, fratres *germanos & consan* doctrina de
guineos fororesque querelam inofficiosi querela fra-
contra fratris defuncti testamentum mo- trum.
uere posse, si turbis vel lenis notae ma-
cula laborans persona instituta iisque
praelata est, non item veterinos per
l. 27. C. de inoffic. testam. Quo planior
vero sententia huius legis primo aspectu esse videtur, eo
maioribus subiecta scopulis deprehenditur, si paulo accur-
ratori examine eius intimas peruoluimus rationes. Quid
enim

A

multis inuo- enim causae est, quod excludantur *uterini*, qui tamen pa-
luta dubiis. ria cum *consanguineis* iura acceperunt in *Nov. 118*. Qua de
causa tantum fratres querelam mouere possunt turpi per-
sona instituta? & quaenam talis est? quae leuis notae ma-
cula laborans? Denique num tantum hoc pertinet ad fra-
tres *consanguineos*, an vero etiam ad *germanos*? Postulant
haec & similia dubia, vt paulo altius huius querelae nata-
les euoluantur, progressus ostendantur, & collato iure
nouo tandem inquiratur, num adhuc hodie *consanguinei*
h. e. eodem quidem patre, diuersa tamen nati matre, ad
hanc querelam admittendi, & vtrum *germanorum* & *con-*
sanguineorum circa eam paria sint iura? quod nonnulli et-
iam in dubium vocant.

§. II.

Origo que-
relae inoffi-
ciosi ex iure
non scripto.

Querelam *inofficiosi testamenti* magis *interpretatione*
prudens & *moribus* inualuisse, quam *lege scripta* funda-
tam fuisse, argumenta a celeberrimis viris CORNELIO VAN
BYNKERSHOEK *lib. II. obseru. iur. Rom. c. 12.* IOANNE
VAN DE WATER *lib. I. obseru. iur. Rom. c. II.* HVGONE
DONELLO *lib. XIX. c. 3.* HOTTOMANNO *disp. de quarta*
legitim. c. I. adducta euidenter ostendunt. Qui ad *edicta*
praetorum, vel ad *L. Gliciam* cum GRAVINA *de orig. iur.*
ciu. lib. 3. §. 80. prouocant, omni idoneo destituuntur praec-
sidio, quo causam suam instruant, nudisque coniecturis
inanibus ducuntur. Videlicet LL. XII. tabb. testatoribus
latissimam liberrimamque dederant potestatem de bonis
suis disponendi. Decemviri enim ita cauerant: *vti quis-*
que rei suae legasset, ita ius esto. His verbis illimitatam
potestatem, vltima voluntate disponendi, contineri, ani-
maduertebant Icti. Testis est POMPONIVS in *l. 120. D.*
de V. S. verbis legis duodecim tabularum his: vti legasset rei
suae,

suae, ita ius esto, latissima potestas tributa videtur, & heredes instituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque constituendi. Videbatur haec lex accommodata esse ad libertatem popularem, qua nihil prius nihil potius habebat populus Romanus. Rationes domini quiritarium talem potestatem ciuibus indulgebant, & vires patriae potestatis, nullis limitibus circumscriptae; non poterant non insignes ad hanc licentiam accessiones facere, accedente imprimis antiquo testamentorum vsu, in comitiis conditorum, quo his publicam conciliabant auctoritatem, vt vel consensu ipsius populi valerent, quod indicat antiqua formula: *velitis iubeatis quirites* &c. Hoc modo condita testamenta admodum rata erant, vt ex capite *inofficiosi* rescindi haud possent, cum, si vel maxime humanitatem laederent, auctoritate tamen comitali pollebant, & ita his temporibus talis rescissio incognita erat.

§. III.

Nihilominus haec profusa & amplissima licentia testandi insignes producebat abusus, incommoda, iniquitates, quemadmodum in genere nimia libertas ciuium magis obesse quam prodesse solet rebus publicis & priuatis. Agnouit id ipsum CICERO *lib. XI. epist. 12. Omnino est hoc populi. MAXIMEQUE NOSTRI, in eo potissimum abuti libertate, per quem eam consecutus sit.* Inde enim eueniebat, vt parentes saepe maligne circa sanguinem suum inferrent iudicium, nouercalibus delinimentis instigationibusque corrupti, vt Ictus fatetur in *l. 4. D. de inoff. testam.* maxime cum iam *mystica* condere inciperent testamenta, quibus decipi poterant liberi, fratres, parentes aliique, qui spem succedendi haberent. Arbitrabantur ciues, se eos pro lubitu exheredare posse, quos & occidere poterant,

vt PAVLVS in *l. ii. in f. de liber. & posth. hered. instit.* rationes subducit, vnde auguror, olim sub republica libera ne quidem *quartae legitimae* ius cognitum, sed vt *van de WATER Lib. i. docet*, sub imperatoribus illud demum introductum fuisse, quod quidem negat ANTON. CONTIVS *lib. i. lect. subseciv. c. 3.* putatque querelam eodem tempore, quo quarta legitima introducta est, inualuisse; sed sine solido fundamento. Eadem licentia effrenis nouum peperit abusum, quod legatis totum patrimonium exhaurirent, vt heredi praeter inane nomen nihil amplius relinqueretur, fatente ipso imperatore in *pr. I. ad L. Falcid.* Et quid dicam de fratribus, parentibus aliisque, quos necessitudo sanguinis ad successionem defunctorum vocabat? hos saepe numero inhumano modo, contra pietatis officium, sine vlla iusta causa, a successione excludebant, hominesque pessimae notae sordidosque iis praeferebant, vel ad minimum extraneos, a lege ad successionem non vocatos. Non peccabant hoc ipso quidem contra regulas *iusti; humanitatis* tamen regulas adeo violabant, vt quotidianae querelae hac de causa fora personarent. Interim constabat, ratum esse debere, quod a regulis iuris non absolute deuiabat, nec id, quod *humanitati aequitati*que aduersabatur, ad rescindendum testamentum idoneum aptumque esse.

§. IV.

Inde cogitatum de re-
mediis tes-
tamenta
iniqua re-
scindendi.

Tandem tamen, tot querelis de *inhumanis & iniquis* hisce *dispositionibus* emergentibus, magis *humanitatis* quam *stricti iuris* ratio habita fuisse videtur. Quamuis enim, prout dictum est, sola *humanitatis violatae* ratio ad irritandum actum sufficere haud possit, occasionem tamen praebere potest, vt, crescente nimiam abusu, paulatim noua

noua praesidia contra eum excogitentur, interpretatione prudentum adiuentur, laudentur, commendentur & moribus tandem confirmentur. Inhumanum erat proximos immerentes praeterire & a successione arcere cognatos: inhumanus parentes & fratres: inhumanissimum vero liberos. Pietatis & sanguinis vinculum hos ad successorem vocabat, huius officium violabat, qui nihil tale meritos excluderat, & inde tale testamentum *inhumanum improbum & inofficiosum* ex merito vocabatur, quod quidem *iure stricto* validum ratumque improbe tamen conditum erat. Hanc *im* sub colore gradum furoris moralis, pietatem *ICTI furori* equiparandam esse censuere, *nec enim atra bili solum mens, sed etiam iracundia grauiore vel timore vel dolore mouetur, quo genere furere dicuntur* homines, ut ait CICERO lib. 5. Tusc. quaest. Quin quod quoduis scelus, & impietas *furor moralis* recte dicatur, si inordinatum & peruersum voluntatis pruricum intuemur. Id ipsum rursus *CICERO orat. in L. Pison.* his declarat verbis: *sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate & mente deturbat: hae sunt impiorum furiae, hae flammae, hae faces.* Inde *interpretatione prudentum* paulatim obtinuit, ut talia testamenta impia, quasi a *furioso* facta, dicerentur, & eorum rescissio a *centumuirili iudicio*, quod de hereditatibus ius dicebat, vrgeretur, & suadente singulari aequitate, nonnunquam impetraretur, *ut ius strictum* ex *humanitate* temperaretur. Praesto sunt eius- quod exemplis declaratur. modi exempla apud *VALERIVM MAXIMVM lib. VII. 2. 7.* quae declarant, impia talia testamenta auctoritate centumuirilis iudicii rescissa fuisse. Tale testamentum inhumanum *M. Anneius* a patre praeteritus apud centumuiros rescidit, quod quidem auctoritate *Pompeii magni*, eius signatore, nitentur; sed *arctissimum*, ait *VALERIVS, inter homines procreationis vinculum, patris simul voluntatem*

tem, & principis viri auctoritatem superavit. Simile quid constituit AVGVSTVS in TETTIO, quoniam Tettius in proprio iure procreato filio summa cum iniquitate paternum nomen eiurauerat, vt locum VALERII emendat LIPSIVS. Pari ratione Terentius a filio exheredatus rescissionem testamenti obtinuit. Mouit Pisonem praetorem, patria maiestas, donum vitae, beneficium educationis: seu aliquid etiam flexit circumstantiam liberorum numerus quod cum patre septem fratres IMPIE exheredatos videbat. Alia huius farinae improba testamenta adducuntur a VALERIO cit. l. c. 8. quae tamen rata mansere, quod hi, quibus iniuria facta erat, eam aequo potius ferre animo quam iudicio contendere mallerent. Aebutiae tabulae plene furoris fuisse dicuntur, in quibus alteram filiam instituit, alteram vero sine vlla iusta causa exclusit, quas haec tamen impugnare recusavit, eo se ipsa indigniorem iniuria ostendens quo eam aequiore animo sustinebat. Non leuis enim videbatur iniuria liberis aliisque heredibus illata, si hereditas lege debita, sine vlla iusta causa, iis adimeretur, quam naturalis charitas commune votum parentum & sanguinis necessitudo iis deferebat. l. 8. pr. de inoff. testam. Pompeius Rheginus testamenti fratris praeteritus erat, instituti vero heredes neque sanguine patrio pares, neque proximi: sed & alieni & humiles: vt non solum flagitiosum silentium, sed etiam praelatio contumeliosa videri posset, nihilominus tamen multum ac diu inter assentientes indignationi suae amicos questus quod ad hastae iudicium attinuit, cineres fratris quietos esse passus est, victoriam sine dubio obtenturus, si contendere voluisset.

§. V.

Inde querela inofficiosi inualuit.

Inde natales suos querela inofficiosi testamenti accepit, inde sine dubio dicta, quod iniique exclusi aut praeteriti con-

conquererentur de iniuria sibi facta, de testamento contra pietatis humanitatis & officii regulas condito, imo de ipso *furore morali* defuncti. Hunc in finem hoc colore utebantur exclusi, quasi defuncti non fuisset sanae mentis, cum testamentum condidisset, & eo sub obtentu rescissionem testamenti impetrabant ex aequo & bono. Pedetentim haec querela in meliorem formam redacta & variis aucta legibus, ut non amplius ab *arbitrio centumuirilis iudicii* dependeret simpliciter, sed ex legum auctoritate circumscripta forma subsisteret.

§. VI.

Hac constituta, restricta paulisper fuit facilitas admit-
tendi querelas haec, cui nimium quandoque indulgisse, videntur centumviri ex quadam cerebrina aequitate, ceu nonnulla exempla apud VALERIVM *lib. 7. c. 8.* docent. Obseruat. id ipsum quoque IOANNES VAN DE WATER *cit. l. c. 12. &*, eousque, ait, *profusa iudicum sub primis imperatoribus in admittendis querelis facilitas se porrexit, ut sanguine remotiores, imo nullo sanguinis vinculo nexi, si de testante se bene meritos vel propensam eius voluntatem licet nudis & vix seriis verbis aliquando prolatam rite probassent. haereditatem institutis auocare potuerint.* Novus hic abusus ex iudicem *cerebrina aequitate* nonnunquam deductus legibus merito circumscribendus fuit. Paulo liberius arbitrium iudicibus, more iam inueterato, datum erat, quo non poterant non abuti, qui sub praetextu *violatae humanitatis aequitatisque* amico gratificari volebant. Ad hos motus inordinatos compescendos necessarium fuit legum frenum, quod ad certos limites coerceretur iudicum audacia. Videtur autem primo querela tantum fuisse restricta ad heredes legitimos ab intestato, & quidem imprimis ad *proximo.*

Saepius nimium ex aequitate cerebrina extensa a iudicio centumvirili.

miores. Iam tempore VLPiani ultra fratres & parentes querela rarius admiffa. Ita enim in l. 1. D. de inoff. testam. Sciendum est, frequentes esse inofficiofi querelas: omnibus enim tam parentibus quam liberis de inofficiofo licet disputare. Cognati enim proprii, qui sunt ultra fratrem, melius facerent, si se sumtibus manibus non vexarent, cum obtinere spem non haberent. Non absolute ius, querelam mouendi, denegat, ceteris consanguineis ICTus, quin potius praesupponit, legem quidem prohibitiuam deesse, interim varias difficultates occurrere, quibus obsepti rarius eo tempore superiores in lite existerent. Parcius iam remotioribus querela indulgebatur, & non nisi concurrentibus singularibus aequitatis rationibus dabatur. Idem VLPIANVS in l. 9. 6. d. inoff. testam. posthumo etiam hanc querelam dari ait incuitu testamentorum eorum, quibus suus heres vel legitimus potuisset fieri, si in vtero fuerit mortuus eorum tempore. Addit vero: *sed & cognatorum, quia & horum ab intestato potuit bonorum possessionem accipere.* Fratres nomine cognatorum intelligendos esse, communiter aiunt; verum quin etiam alios proximiores hac aplatione ICTus significare potuerit, ratio adducta docet. Tandem rescriptis principum adeo restricta, vt remotiores ab illa exclusi fuerint. Tempore DIOCLETIANI & MAXIMIANI enim vltra fratres nemo amplius ad querelam admiffus est, ceu liquido monstrat l. 21. C. de inoff. test. anno 244. lata vbi ita: *cum nemo eorum, qui ex transversa linea veniunt, exceptis fratre & sorore, ad inofficiofi querelam admittatur.*

§. VI.

Dabatur
olim quere-
la indistin-

Illud olim parum referebat, quinam essent instituti,
honesti an turbes; sufficiebat, hos praeter meritum esse
exclu-

exclusos, quibus successio ex lege debebatur. Etiam fra-
 tribus & sororibus *indistincte* haec querela dabatur, quam-
 nis iniuria eo grauior & intolerabilior esset, si homines
 sordidi, & turpissimi iis essent praelati, vt recte obseruant
 VAN DE WATER *cit. l. c. 12.* & HERTIVS *de fratris Ger-*
mani querela adv. quoscunque sect. II. §. 3. Qua de causa
 in *l. 5. §. 21. C. de inoff. testam.* non fit mentio turpium
 vel macularum personarum institutarum, quamuis de
 fratribus & sororibus vtraque lex disponat, cum eo tem-
 pore non illud, quis esset institutus? sed potius hoc quis
 praeter meritum exclusus? querebatur. Nec enim satis
 fundata est coniectura IACOBI GOTHOFREDI *ad l. 1. C.*
Theod. de inoff. testam. arbitrantis, fratres non aliter ante
 CONSTANTINUM admissos fuisse, quam si *seruus*, vel *ex-*
traneus vel *non municeps* institutus fuerit. Collegit hoc
 ipsum ex *l. 31. §. 1. D. de inoff. testam.* vbi ICtus ita: *quan-*
tum ad inofficiosi liberorum vel parentum querelam perti-
net, nihil interest, quis sit heres scriptus ex liberis an ex-
traneis, vel municipibus. A contrario sensu inde conclu-
 dit, quoad *fratres*, multum interesse, quis heres scriptus
 sit, quod horum non fecerit mentionem. Eninvero quod
 tantum *liberorum & parentum* mentionem fecerit ICtus,
 inde non statim fratres excludere voluit; ne dicam argu-
 menta talia minus concludere. Aliud praesidium quaerit
 GOTHOFREDVS in *l. 24. eod.* quae de *fratre* agente lo-
 quitur, supponitque casum, *si heredes scripti diuersi iuris*
fuerint h. e. prout exponit GOTHOFREDVS si *liber* cum
seruo, *ciuis* cum *peregrino*, *municeps* cum *non-municepe* in-
 stituti fuerint. Eiusmodi vero personas *diuersi iuris* in
cit. l. non necessario praesupponendas esse, iam obserua-
 uit VAN DE WATER *cit. c. 12. p. 71.* cum *diuersi iuris*
 personae recte dici possint *frater & extraneus*. Quid enim,
 si

Et contra
 quoscun-
 que here-
 des scri-
 ptos.

Eriana
 quoad fra-
 tres exclu-
 sos.

si frater natu minor & extraneus fuerint instituti, fratre natu maiore excluso? Contra *extraneum* quidem obtinere poterit frater exheredatus non aequè contra fratrem; cum per illius, non huius institutionem laesus fuerit, & inde euenerit, ut pro parte testatus & pro parte intestatus testator decessisse videatur. Diuersi enim iuris rectè dicuntur, qui *diuerso iure* gaudent, quales sunt *heredes legitimi* & *extranei* in hac de *inofficioso* doctrina. Conf. l. 15. §. 2. d. *inoff. testam.*

§. VIII.

Querela
competebat
secundum
ordinem &
ius succedendi ab intestato,

& primo
quidem liberis.

Deinde fratribus & parentibus.

Sicuti itaque querela haec introducta est in fauorem eorum, quos lex ad successionem vocabat, a qua per *iniuriam* erant exclusi, ira simul liquet, eo ordine quoque conquerentes admissos fuisse, quo ad successionem vocati essent. l. 6 §. 1. d. *inoff. testam.* Nec enim de *iniuria* sibi facta conqueri poterant, qui ne quidem, tabulis non extantibus, succedere poterant, ideo, quod a proximioribus excluderentur. Inde prima causa sine dubio erat *liberorum* suorum: emancipatis *directo* querela non dabatur, quod iure *ciuili* non succederent: beneficio praetoris tamen admitti poterant, accepta bonorum possessione *litis ordinandae gratia*, qua demum ius succedendi ex iure praetorio consequerentur, quae suis minus necessaria erat, quod ab intestato a lege iam essent vocati. l. 7. l. 8. d. *de inoff. testam.* Praeter demum emancipatos reddebat capaces successionis, & data *bonorum possessione* efficiebat, ne iis conquerentibus amplius obici posset, tibi nullam factam fuisse iniuriam per exclusionem, & consequenter locum querelae haud esse. Conf. AVERANIVS *lib. I. Interpret. iur. c. 8. n. 14. §. 99.* Liberis deficientibus *fratres* statim admissos fuisse arbitror, quod hi ante parentes succederent, vt

vt liquet ex *pr. I. quib. non est permiss. l. f. C. comm. de success.* post suos enim statim consanguinei vocabantur, vt docet I Crus in *l. 1. §. 9. de suis & legit. hered.* Quoad parentes tamen erat quaedam diuerfitatis ratio, vtrum *suus* an vero *emancipatus* decessisset? Illo decedente ab intestato: *nullis liberis vel fratribus superstitibus*, ad parentes eius pertinebat peculium castrense & quasi castrense iure quodam postliminii. *l. pen. §. 3. de castrens. pecul.* Et hoc est, quod dicitur in *l. 15. pr. de inoffic. testam.* quod *etsi parentibus non debeatur filiorum hereditas*, iure scilicet succedendi ordinario, *turbato tamen ordine mortalitatis non minus quam liberis pie relinqui debeat*, eo scilicet modo, quo bona filiorum pater olim capere poterat. Emancipato vero mortuo, pater exemplo patroni iure praetorio deficientibus defuncti liberis naturalibus, succedebat, *l. 1. pr. D. si a par. quis manumis. & ita exheredatus*, accepta itidem bonorum possessione *litis ordinandae gratia*, ad querelam admittebatur, eo tamen ordine, quo iure praetorio vocatus erat, de quo vid. *tit. I. de success. libert.* Haec eadem ratio quoque faciebat, vt *successorio edicto* locus esset in querela, si proximior noller aut non posset accusare. *l. 31. pr. D. de inoff. testam.* VINNIUS *lib. I. select. quaest. c. 2.* II. Admissio illustrat hoc PAPINIANVS *l. 14. D. eod. exemplo patris*, qui edicto successorio filium emancipauerat, retento ex eo nepotem. Hic postea alio filio suscepto, duobus exheredatis, patre praeterito, vita decessit. Hoc casu *liberorum* causa praecedebat, & patris intentio adhuc pendebat. Quod si enim contra filios, probata ingratitude, iudicatum fuerit, pater ad querelam vocabatur, & suam intentionem implere poterat. Hoc casu vero *iure proprio* querelam mouebat sequens: quandoque etiam *iure transmissio*, si exheredatus, praeparata querela, decedebat, quam heres ex *persona defuncti* con-

tinuare poterat, *l. 6. inf. l. 7. D. l. 5. & l. 34. C. d. inoff. testam.* licet alias *iure proprio* ad querelam admitti haud poterit.

§. IX.

Per querelam intentionem debatur successio ab intestato,

& ipsa querela erat petitio haereditatis.

Dictum est ex *l. 14. d. inoff. testam.* patrem, filio a querela remoto, suam *intentionem* implere potuisse. Quorsum vero haec intentio tendebat? sine dubio *successionem ab intestato* pro scopo habebat, a qua exhaeredatus inique & sine iusta causa exclusus erat. Qui ergo agebat, vniice hanc *successionem* intendebat, sicuti ab agendo repellabatur, cui omnis spes succedendi ab intestato ademta erat. Quae cum ita sint, merito in horum castra transeundum esse iudico, qui hanc querelam *petitionem quandam haereditatis* esse arbitrantur, negantque, hac querela tantum rescindi testamentum; & eo rescisso, agendum adhuc esse hereditatis petitione, quam sententiam vt veriozem amplectuntur VINNIUS *lib. I. select. quaest. c. 19.* AVERRANIUS *c. l. n. 5.* SCHVLTING. *in iurisprud. antei. ad Iul. Paul. sent. lib. 4. tit. 5. §. 4. p. 396.* WESENBECK. *ad tit. Cod. de inoff. testam. n. 2.* Quid enim aliud intendebat actor, quam vt rescisso testamento ab intestato succederet? adeoque si testamentum *inofficiosum* iudicatum esset, statim bona defuncti actori adiudicabantur, vt auctor est VALERIUS MAXIMVS *lib. 7. c. 7.* Hac de causa qui testamentum dicit inofficiosum, *hereditatem petere, l. 8. §. 8. de inoff. testam. & euincere l. 21. in f. eod. imo vindicare l. 27. §. 3. eod.* & denique *hereditatis petitionem exercere in l. 20. eod. vel etiam hereditatis petitionem ex nomine de inofficioso constitutere in l. 34. pr. C. d. inoff. testam.* dicitur. Quoniam hoc proposito accusationem instruit; agnouisse *successionem ipso facto non immerito videtur. l. 14. D. de honor. pos.*

possess. Et quid aliud est, testamentum arguere inofficium, quam allegare, se per iniuriam & immerentem a successione ab intestato exclusum? hanc vnice intendit, petit, vindicat, & ob hanc vrget rescissionem testamenti.

§. X.

Quae huic sententiae obiici possunt, plena manu adla-
 ta sunt a Dn. COCCIO *in iur. controu. ad tit. de inoff. tes-* Argumen-
tam. quaest. 2. sed a VINNIO aliisque iam reiecta sunt. tarium
 Palmarium inter cetera hoc videtur argumentum esse, primum
 quod heres scriptus non possit dici *pro herede vel pro pos-* quod heres
sessore, possidere, cum verus secundum leges sit heres, non scriptus
 putatius. Enimvero hoc ipso, *pro herede possidere dici-* non possit
 tur, quod *improbissimus heres* sit, vt ait VALERIVS MAXI- dici pro he-
 MVS l. 7. c. 7. & contra pietatem, aequitatem & humani- redere possi-
 tatem legitimo heredi praetextu tabularum hereditatem dere.
 praeripere intendat; imo eo respectu, quo testamentum
vt inofficiosum arguitur, non est heres verus, sed iniquus
 hereditatis alienae detentor. Id SEVERVS & ANTONI-
 NVS in l. i. C. eod. facti sunt constituentes, heredem scri-
 ptum perinde teneri, *ac si pro herede vel pro possessore possi-*
deret. Aiunt porro dissentientes: *hereditatis petitionem* Argum. se-
esse vel ex testamento vel ab intestato; ad neutram classem cundum,
 vero hanc querelam referri posse, non *ex testamento,* quo quod hie de
 exclusus est actor: non *ab intestato,* quod successione huius sit omnis
 tabulis exstantibus, nulla ratio sit. Ego vero assero hanc successio-
 petitionem sese fundare in *successione ab intestato vel bono-* tum ex te-
rum possessione, quod vel inde liquidum est, quia emanci- stamento,
 pari, antequam agerent, bonorum possessionem *litis ordi-* tum ab in-
nandae gratia impetrare cogentur, vt successione ab in- testato.
 testato hoc modo capaces redderentur. Praeterea qui
 agit, id ipsum vrget, quod tabulae *furoris plenae* sint, quod-
 que

que per *iniuriam* a successione ab intestato exclusus sit; tabulis autem eiusmodi furore plenis extantibus, successio ab intestato in effectu non adempta videtur. Urgent porro dissentientes; alio ordine querelam dari & alio deferri successione ab intestato: id vero, saltem iure veteri, quo haec querela introducta est, falsum esse, supra iam observavi, ostendique eodem ordine dari querelam, quo ab intestato succeditur. Vtrum vero hoc ipsum iure nouo mutatum fuerit, ex infra dicendis apparebit.

§. XI.

Nouum argumentum quod in hac querela non adiudicetur hereditas vincenti.

Speciosior haec est obiectio, quod actori in hac querela vincenti non adiudicetur hereditas, *l. 6. §. 1. d. inoff. testam.* nec qui totam querelam habuit, & in ea obtinuit totam consequatur hereditatem *l. 19. eod.* id quod tamen fieri deberet, si querelae huic inesset hereditatis petitio. Ego vero hac argumentum inuertendum, & asserendum esse iudico, omnino in hac querela hereditatem ab intestato adiudicari, cum eam *petat, euincat, vindicet.* Hoc innuit Iustus in *l. 7. §. 1. de hered. petit.* vbi haec duo coniunguntur: *dicens suscepturum se de inofficioso testamento & petiturum hereditatem.* Nec PAVLVS in *l. 17. pr. de inoff. testam.* aliter philosophatur, quin potius praesupponit, per hanc querelam hereditatem adiudicari victori. Referam speciem ibidem propositam, quae hanc illustrabit sententiam. Pater duos filios, quos tantum habebat, exheredauit, instituta eorum nouerca: alter eorum egit querela inofficiosi, & alter abstinuit. Quid si ergo ille obtineat? an victoria haec quoque profit ei, qui querela abstinuit? Ratio dubitandi his continetur verbis: *quia rescisso testamento, alter quoque ad successionem vocatur & ideo vniuersam hereditatem non recte vindicasset.* Vindicauerat itaque

que vniuersam hereditatem frater ex heredatus per hanc querelam, eaque illi, si obtinebat, adiudicanda erat. Hoc innuit ratio decidendi haec: *hic si obtinuerit, utetur rei iudicatae exceptione*, contra fratrem scilicet, querelam haud mouentem, & tamen ex post facto a fratre victore hereditatem *pro parte dimidio* petentem. Quomodo enim hac exceptione uti potuisset, nisi vniuersa hereditas ei esset adiudicata a centumuiris? quod etiam indicant verba sequentia: *quasi centumuirum hunc solum filium in rebus humanis esse nunc, cum facerent intestatum* (defunctum scilicet, per adiudicationem hereditatis ad intestato) *crediderint*.

§. XII.

Neque vero contrarium colligi potest ex *l. 6. §. 1. de inoff. testam.* cuius species haec est: *Si quis ex his personis quae ad successionem ab intestato non admittuntur, de in officioso egerit*, nam olim etiam amicos & benefactores quandoque egisset docet VALERIUS (*lib. 7. c. 8.*) *nemo enim eum repellit* (licet adfuerit filius exheredatus, qui potuisset interueniendo eum repellere, id quod tamen neglexit, non animo repudiandi, sed quod forsitan aliter impeditus esset) *& casu obtinuerit*, quia centumuirorum arbitrium nimis laxum erat, ut quandoque casum pro amico admitterent. Quaeritur iam quid iuris? an hereditatem retinere poterit, quam obtinuit rescisso testamento, per querelam? Id enim erat consequens victoriae obtentae, adeoque necessario praesupponi debet, ei hereditatem adiudicatam imo traditam fuisse. Quia tamen postea filius, quasi e somno excitatus, vindicat a victore hereditatem & sibi exceptionem *rei iudicatae* non obesse posse allegat, quaestio mota fuit quid iuris? Respondet ICTUS, non prodesse victori victoriam, *sed his, qui habent ab intestato successionem, num*

Explicatur
l. 6. §. 1. d.
inoff. test.

in-

Explicatur
l. 19. de
inoff. tes-
tamentam.

intestatum patrem familias fecit. Neque enim rei iudicatae exceptio ei opponi poterat, qui non egerat, nec victor hereditatem retinere, quod nullam succedendi ab intestato facultatem haberet, quin potius ea his restituenda, qui, postquam testator intestatus factus est, ab intestato succedere possint. Neque porro praesidium dissentientibus praebet PAVLVS in l. 19. eod. cuius species haec est: *mater decedens extraneum ex dodrante heredem instituit, filiam unam ex quadrante, alteram praeterit: haec de inofficioso egit, & obtinuit.* Quaeritur quomodo filiae scriptae succurrendum sit? Ratio dubitandi duplex erat, quae filiae scriptae magnopere obstabat. Prima erat, quod filia praeterita egerat contra extraneum & sororem, adeoque dici seu obici poterat, eam, quae ommissa est, etiam si totam hereditatem ab intestato petat, (quod per querelam ab ea motam fiebat) & obtineat, quia testamentum ut inofficiosum rescindebatur, solam habituram uniuersam successionem, quemadmodum si altera omisisset legitimam hereditatem. Respondet vero ICTUS: *sed non est admittendum, ut aduersus sororem audiatur, agendo de inofficioso.* Haec verba ostendunt, sororem omissem tantum egisse de inofficioso, & ut antecedentia declarant, totam hereditatem ab intestato et querela petisse, & obtinuisse. Ita vero intelligendam esse sententiam putat ICTUS, ut tantum victoriam obtinuerit contra extraneum, non contra sororem, per cuius institutionem non erat laesa. Altera ratio, quae filiae scriptae obstabat, haec erat, quod aduendo hereditatem maternam ex testamento, conferretur renunciaffe successionem ab intestato. Respondet vero recte ICTUS: *dicendum est, non esse similem, omittenti eam, quae ex testamento adiit.* Probat hoc ipsum eo argumento: *nec enim, quae ex testamento adiit, quod putat valere repudiare legitimam hereditatem quam*

quam quidem nescit sibi deferri, id quod in sequentibus ulterius declarat, & tandem concludit: *Ex quibus apparet non recte totam hereditatem praeteritam*, quae de inofficioso agit, VINDICARE; cum rescisso testamento etiam institutae saluum ius sit ad eundem hereditatis ab intestato. Sic itaque ex hoc textu plus quam manifestum est, executionem sententiae in querela latae esse *restitutionem hereditatis ab intestato*, nec necesse esse, ut duplici remedio hic agatur, querela, scilicet, ut remedio quodam praeparatorio, & hereditatis petitione, cum haec illi insit, & executio in illa deficeret, ni statim absque vilo nouo remedio in ipsam hereditatem illa posset fieri. Haec vel ideo plenius explananda fuere, ut constaret, hanc querelam non tantum sequi *ordinem succedendi ab intestato*, sed etiam eandem operari, id quod insigne nobis argumentum praebebit in querela a *fratribus consanguineis* mouenda.

§. XIII.

Quia vero supra §. 6. in. f. iam obseruatum est, per Fratres vterinos a querela exclusi. *l. 27. C. de inoff. test.* anno 294. latam, querelam ultra fratres & sorores in linea transuersa non fuisse extensam, specialius nunc indicandum est, quid postea per nouas leges circa querelam fratrum immutatum vel declaratione quadam illustratum fuerit? CONSTANTINVS in *l. 1. C. Theod. de inoff. test.* declarationes duas addidit, quarum altera ex iure antiquo fluxit; altera vero nouum plane ius constituit. Per primam *fratres vterinos* ab inofficiosi querela arcuit, non alia de causa, quam quod essent *cognati*, de in re ciuili a successione legitima, quae solius *agnationis* rationem habebat, prorsus exclusi, cum tamen non aliis querela competeret, quam quibus *successio ab intestato* attributa est. Ceterum quamuis *uterini fratres* ex edicto praetoris, unde *cognati*.

Quod successio legitima iis esset denegata.

cognati, succedere possent, ea tamen successio iis ad querelam mouendam non proderat, quia, omnibus demum agnatis deficientibus, huic edicto locus erat. *pr. I. de success. cognat.* Quia vero post fratres germanos, agnatorum nulli ad querelam admittebantur, qui tamen *fratres uterinos* in successione praecedebant, nec *uterini* audiendi erant, si vel maxime, agnatis omnibus deficientibus, ex edicto praetoris bonorum possessionem impetrare potuissent, si defunctus intestatus decessisset.

§. XIV.

Iustinianus
in hoc con-
stitutione
Constantini
quaedam
immutauit.

Eandem constitutionem quoque IUSTINIANVS in Codice repetitae praelectionis & quidem in *l. 27. de inoff. testam.* repetiit, verum, more Tribonianum usitato, in quibusdam immutauit, ne dicam corrupit. Primum est, quod *sororum uterinarum* quoque mentionem fecerit, easque ab inofficio querela repellendas esse voluerit: vtrum enim etiam *sororibus* concessa sit querela per *l. 21. C. eod.* id tamen intelligi duntaxat poterat de his, quae ab intestato succedere poterant, quales erant *germanae*, hoc est, eodem patre natae, quo mediante *consanguinitatis & agnationis* ius consequentur, & sic quoque successionem *§. 3. I. de legit. agnat. success.* Ceterum *sorores uterinae* eo ipso iam exclusae erant, quo *fratres uterini* repulsi. Secundum est, quod *germanos* hic vocet *consanguineos*, cum in genere agnati *consanguinei* vocentur, *§. 1. I. de legit. agnat. success.* quae diuersa appellandi ratio tamen interpretibus iuris nouam dubitandi ansam praebuit, de qua mox dicam. Denique vltimum, quod hic quidem commemorandum esse arbitror, concernit clausulam in *Cod. Theod. relata*: *agnatione durante*, quae eo tempore necessario addi debuit, quod tota succedendi ratio ab *agnatione* dependeret, qua
per

per capitis diminutionem, etiam minimam, sublata, successio quoque euanescebat, & consequenter ius mouendi querelam contra testamenta inofficiosa. Hanc clausulam immutauit TRIBONIANVS in *l. 27. tit.* & loco eius hanc substituit: *durante agnatione vel non*, quod ideo factum esse, iudicat IACOBVS GOTHOFRED. in not. ad *cit. l. C. Theod.* quia differentiae agnationis & cognationis iam sublatae fuerint. Id vero omnino erroneum esse vel inde liquet, quod per totum Codicem fere in plerisque adhuc haec differentia super sit, & in successione attendatur, quodque ea demum in *nou. 118.* sublata fuerit. Ipse imperator in *§. 1. I. de success. cognat.* ius antiquum adhuc recenset his verbis: *Agnati capite deminuti, quique ex his progeniti sunt, ex lege XII. tabb. inter legitimos non habentur, sed a praetore tertio ordine vocantur.* Vnicam ex iure nouo, post CONSTANTINVM introducto, addidit limitationem: *exceptis solis tantummodo fratre & sorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos. lex Anastasiana cum fratribus integri iuris constitutis vocat ad legitimam fratris hereditatem.* *conf. l. 4. C. de tut. legit. l. 11. C. de legit. hered.* THEOPHILVS in *paraphr. graec. ad tit. de success. cognat. §. 1.* Haec sine dubio ratio fuit, quae mouit imperatorem, vt secundum *legem Anastasianam* hanc clausulam quoad fratres & sorores immutaret, postquam successioni fratrum, ex iure quodam speciali & mero privilegio, agnatio per emancipationem sublata nullum amplius adferret praediudicium. Substitit ergo adhuc IVSTINIANVS in regula a primordio huius querelae vsitata, quod eo ordine & iure querela competat, quo succeditur ab intestato, vt tamen quoad fratres quaedam restrictio adiecta sit.

§. XV.

Fraterum
querela non
contra quos-
cunque, sed
tantum tur-
pes heredes
scriptos da-
tur.

Hanc restrictionem nouiter induxit CONSTANTIVS M., eaque ipsa prorsus nouum ius constituit. Fal-
lere enim GOTHOFREDVM, fratres ante hunc imperato-
rem non contra quoscumque institutos heredes hanc que-
relam mouere potuisse existimantem, iam supra obseruaui.
Hanc vero facultatem demum fratribus ademit CONSTAN-
TINVS, eosque tum demum audiendos esse censuit, si in-
stituti illisque praelati, *quibus iniustos constiterit esse notas*
detestabilis turpitudinis. Non quidem olim inde testamen-
ta *improba & inofficiosa* habita fuere; par tamen est crede-
re, eo maiori illa fuisse exposita odio, si abiecti, sordidi
nefandique nebulones heredibus ab intestato fuere in suc-
cessionem praelati, & ita eo facilius rescissa ceu declarant ex-
empla apud VALERIVM MAXIMVM *lib. 7. c. 8.* At vero
facilitati, qua saepe numero centumuirum ad rescindenda te-
stamenta ducebantur, occurreret Caesar, ad eum casum re-
strinxit querelam, qui auget iniuriam fratribus illatam, &
omnem pro heredibus scriptis & testamentorum vigore
fauorem tollit. Quid enim iniquius est, quam, naturali
succeedendi ordine post habito, male feriatos homines &
dedecore publico adspersos heredes scribere, odio publico
relinquere inultum? atque talem iniuriam fratribus illatam
relinquere inultum? Repetiit eandem declarationem IV-
STINIANVS in *cit. l. 27.* sub nomine CONSTANTINI &
contra tales tantum heredes querelam admittit, *qui infamiae*
vel turpitudinis vel leuis notae macula adpersi sunt.

§. XVI.

Quinam
leuis notae
macula ad-
persi di-
cuntur.

Sine dubio TRIBONIANVS hanc formulam hausit ex
l. 3. C. Theod. de inoff. testam. in qua repetit, fratribus que-
relam tantum permittum esse, cum heres *infamiae aspergi-*
tur

tur vitii, omniaque fratribus tradi, quae per turpitudinem vel aliquam leuem notam capere non potest institutus. In notare famia quinam laborent, noto notius est. *Alit leuis nota* quid? quae fuerit, paulo obscurius. Dicebantur olim *centes* *notare*, quia infamibus & dedecore publico adspersis in censualibus tabulis notam apponebant, vt ignominia eo illustrior fieret vid. LIV. lib. XXXIX. c. 42. *Inde nota turpitudinis, nota leuis vel macula notae leuis* ignominiam & infamiam olim denotabat. P. Furium CICERO orat. pro C. Rabin. vocat *hominem omnibus insignem notis turpitudinis.* Catalinam vario maculatum scelere Orat. 1. in eundem ita depingit: *quae nota domesticae turpitudinis non iniusta vitae tuae est? quod priuatarum rerum dedecus non haeret infamiae.* Idem orat. pro P. Sextio meminit notationis censoris, & orat. pro Cluent. infamem censoriae seueritatis nota inuiri ait. Leui ergo nota maculati dicuntur, quibus cohaeret dedecus infamiae vel turpitudinis. Ceterum quia CONSTANTINVS in cit. l. disertis addit verbis, omnia fratribus esse tradenda, *quae per turpitudinem aut aliquam leuem notam capere non potest institutus,* aniam dubitandi id ipsum praebuit, vtrum Imperator his verbis primario respexerit ad L. Papiam Poppaeam, qua interdicta coniugia Senatoribus, cum libertina, eae muliere, quae ipsa cuiusue pater materue artem ludicram facit, vel fecerit, vel quae palam corpore quaestum fecit, quia etiam haec iis imposita est poena: *ne hereditatem, quae eis lege obuenit, legatunne ipsi coniuges, neque inter se quicquam caperent.* Vid. GOTHOFRED. in quat. fontib. iur. ciu. p. 276. Enim vero quo minus in hanc transire possim sententiam sequentes obstant rationes: 1) quia hac ratione lex CONSTANTINI tantum ad eos esset restringenda, qui interdicta eiusmodi & probrosa iniissent matrimonia, quippe qui

An Imperator respexerit ad legem Papiam Poppaeam.

demum hereditatem capere non poterant, id quod generalitati verborum repugnat: 2) quia si ad eos lex esset refringenda, qui ob L. Papiam Poppaeam nihil ex testamento capere possunt, querela inofficiosi nequidem fratres indignissent, quin potius tales heredes pro non scriptis fuissent habendi: dicuntur enim *incapaces*, qui ex testamento capere non possunt, quorum institutio nullius est momenti: 3) nequidem anno 332. quo CONSTANTINVS constitutionem illam in l. 3. C. Theod. de inoff. testam. edidit, vsus aliquis legis Pappae Poppaeae super fuisse videtur, reuocatus demum anno 336. in l. 1. C. de natural. liber. 4) verba cit. l. 3. *omniaque fratribus tradi, quae per turpitudinem aut aliquam leuem notam capere non potest institutus*, ad effectum querelae, qua rescinditur testamentum, pertinent, quia, rescisso testamento, institutus hereditatem capere non potest: 5) non necesse fuisset *libertorum* speciatim facere mentionem, quippe cum quibus disertis verbis matrimonium inire lege Pappae Poppaea vetitum erat. De his vero vel ideo dubitari poterat, quod inter *infames* proprie loquendo referri non possent; interim, quia ex pristina feruitute, vnde manumissi erant, nota adhuc quaedam iis inhaerebat, iniquum visum fuit CONSTANTINO, eos fratribus praeferrere, maxime, quod hoc seculum libertis admodum inimicum fuerit, vt docet GOTHOFREDVS in *comm. ad cit. l. 3.*

§. XVII.

Quidam
adhuc ho-
die germa-
nos contra
quoscu-

Quoniam vero CONSTANTINVS tantum *germanos* ad hunc querelam contra scriptos turpes heredes admisit, easque IVSTINIANVS in l. 27. cit. *consanguineos* vocauit, quidam in eam prolapsi sunt sententiam, vt hanc nouam constitutionem tantum ad *consanguineos* stricte dictos restringendam, *germanos* vero, vtrumque parentem com-

communem habentes, contra *quoscumque heredes* admittendos esse crederent. Primus, quantum ego quidem meminimus, fuit B. HERTIVS, qui anno 1705. de fratris germani querela inofficiosi aduersus quoscumque edisseruit & sect. II. hanc sententiam defendit. Praemittit, olim fratres contra *quoscumque* querelam mouere potuisse, quod supra etiam euictum: addit, CONSTANTINVM quidem fratrum germanorum querelam restrinxisse, & turpibus personis institutis eos tantum praeferre voluisse; credit tamen germanorum appellatione venire eos; qui eodem germine nati sunt, etli non eadem matre, idque TRIBONIANVM, vt omnis errandi causa euitaretur, bene animaduertisse & hac de causa pro germanis substituisse consanguineos, maximo, vt ait, argumento; si ad fratres ambilaterales haec l. i. D. Theod. de inoff. testam. pertinisset, illum non exstincturum fuisse fratres germanos, sed cum iis coniuncturum fuisse consanguineos. Inde porro colligit, fratres germanos, h. e. ex eodem patre & eadem matre natos, adhuc secundum ius antiquum admittendos esse ad querelam contra quoscumque, quod respectu horum nihil immutatum reperitur, omnisque mutatio stricte capienda sit, praesertim cum germani praerogatiuam in successione habeant prae consanguineis. Eandem sententiam anno 1713. amplexus est IOANNES VAN DE WATER lib. 1. obs. 12. nulla HERTII praeuentis facta mentione, cuius dissertatio similis argumenti forsitan ipsi ignota fuit. Interim fere iisdem argumentis vtitur, docetque antiquitus fratribus querelam concessam fuisse, quaecumque demum persona, siue honesta, siue turpis, heres fuisset scripta; nihil vero quoad germanos immutasse CONSTANTINVM, sed per germanos in l. i. C. Theod. de inoff. testam. significasse consanguineos, idque colligi posse ex clausula subiecta, agnatione durante, tantum

tum *consanguineis* non *germanis* applicanda; omnem de-
 mum scrupulum exemisse TRIBONIANVM in *l. cit.* 27. &
consanguineos tantum memorasse.

§. XVIII.

Id quod re-
 futatur.

Huic sententiae communis interpretum schola refra-
 gatur, cui ego etiam subscribo. Supra obseruauit, usque
 ad tempora CONSTANTINI illibatam fuisse obseruatam re-
 gulam, vt secundum ordinem & ius succedendi ab inte-
 stato querelae locus esset, vt tamen tandem ultra fratres
 non amplius fuerit admittenda. Quia vero omnis successio
 olim in iure agnationis fundata erat, merito fratres *germa-
 ni* & *consanguinei* ius prorsus aequale in successione obi-
 nere debebant, cum aequae agnati essent *consanguinei* ac
 quidem fratres *germani*, & vinculum, respectu matris di-
 uersum, hic minime obseruari deberet. Cum ergo aequo
 iure succederent *germani* & *consanguinei*, aequali quoque
 iure frui debuerunt in querela mouenda, quam olim qui-
 dem aduersus quoscumque, sed per legem CONSTANTINI
 demum aduersus turpes heredes scriptos mouere poterant.

Quinam
 germani di-
 cantur.

Quod ergo ius CONSTANTINVS *germanis*, & IUSTINIA-
 NVS *consanguineis* dedit, illud iis praescripsit, qui eodem
 ex germine nati erant, non habito respectu matris.

Et consan-
 guinei.

Discuntur utique fratres *germani* etiam hi, qui eodem patre,
 licet diuersa matre, nati sunt, verum non tantum, sed illi
 etiam, qui eadem matre nati sunt. Similiter fratres *con-
 sanguinei* etiam vocantur, qui eodem patre nati sunt, siue
 eandem siue diuersam matrem habuerint. Docet hoc ip-
 sum euidenter IUSTINIANVS in §. 1. 1. de legitim. agnat.
success. his verbis; Itaque eodem patre nati fratres agnati sibi
 sunt, qui & CONSANGVINEI vocantur: nec requiritur an
 etiam eandem matrem habeant. Similiter CAIVS lib. 2. in-
 fit.

lit. tit. 8. §. 3. consanguineos vocat de vno patre natos,
 & *VLPIANVS tit. 26. idem confirmat: si sui heredes non*
sunt ad consanguineos, i. e. fratres & sorores ex eodem pa-
tre. Nec minus PAVLVS lib. IV. sent. tit. 8. §. 17. Con-
sanguinei sunt, ait, eodem patre nati, licet diuersis matribus.
 Promiscue ergo in iure *germani & consanguinei* appellan-
 tur, & sicuti recte eodem patre nati, licet diuersis matri-
 bus, *germani* vocantur; ita quoque fratres recte dicuntur
consanguinei, qui patrem & matrem communem habent.
 Neque enim vinculi materni ratio habebatur, vbi solius
 agnationis seu *consanguinitatis* ius successionem ordinabat,
 adeoque hoc intuitu fratres agnati vocabantur *germani &*
consanguinei, non habita ratione matris. Quin quod ali-
 quando coniungantur maioris certitudinis gratia, vt in *§. 4.*
I. de legit. agnat. success. ibi: *sed etiam germanae consanguineae,*
vel sororis vterinae filius & filia. Quae cum ita sint,
 facile liquet, nec *CONSTANTINVM* tantum de iis *germa-*
nis, nec *TRIBONIANVM* in *l. 27. cit.* duntaxat de iis *fra-*
tribus consanguineis, qui diuersas habent matres, intelligi
 posse, cum idem praedicatum fratribus bilateralibus etiam
 competat, & eadem ratio eo tempore adhuc fuerit in fra-
 tribus siue vno tantum siue duplici vinculo iuncti fuerint.
 Neque enim ea praerogatiua, quam *HERTIVS* vrget, huc
 referri potest, quae demum per *nou. us.* introducta est,
 quippe quae eo tempore adhuc ignota & extra praxin con-
 stituta fuit. Neque denique clausula *durante agnatione*,
 quam *VAN DE WATER* in suas trahit partes, solis *consan-*
guineis, diuersa matre natis, applicari potest, sed fratribus
 agnatis communis est, atque tempore *CONSTANTINI* etiam
 in *germanis* stricte dictis locum inueniebat, si emancipati
 essent, quippe quo actu *agnatio* perimebatur. Breuiter:
consanguinei cum germanis, quatenus stricte distinguun-
 tur

tur eo tempore adhuc paria iura in successione & querela mouenda habebant.

§. XIX.

Tempore
primi codi-
cis Iustinia-
neus non
potuit non
vterinos ex-
cludere.

Neque vero IVSTINIANVS discrimen aliquod eo tempore introducere potuit, quo constitutionem CONSTANTINI codici suo primo, anno 528. publicato, infereret, cum vniuersa succedendi ratio adhuc a iure agnationis dependeret, & hinc est, quod fratres & sorores vterinos ab hac querela remouerit, cum *vterini* eo tempore nondum occurrerent ad successione[m], quo *codex Iustinianus* publicaretur. Qua de causa, cum institutiones demum ex hoc codice sint interpretandae, etiam §. 1. I. de inoff. testam. secundum l. cit. 27. intelligendam esse concludunt interpretes de fratribus & sororibus germanis seu consanguineis, non vterinis, praesertim cum ad *constitutiones sacras* prouocet, quae vterinas excludunt, quam sententiam paulo post examinabo.

§. XX.

Tribonia-
nus in im-
mutandis
iuribus va-
rias induxit
difficulta-
tes.

Non tamen semper sui memor fuit TRIBONIANVS: prout hominibus, ad quaeuis immutanda, corrigenda & putatiue emendanda prouis, contingere solet. Talem enim TRIBONIANVM fuisse, ipse PROCOPIVS de bello pers. indicat, asseritque apud ipsum iura fuisse venalia, & nundinationi legum deditum quotidie pretio refixisse alias, alias fixisse, prout e re erat & vsu desiderantium. Proinde meo iudicio haud errauit FRANCISCVS BALDVINVS, facinorosa TRIBONIANI in legibus immutandis adhibita his depingens verbis: *Vbi ius dare, dicereque serio voluit, repetitum ex antiquis legum tabulis & prudentum Romanorum commentariis, neque illarum neque harum acumen peruidit semper:*

per: & sententiam aliquando parum affectus esse videtur. Quid dicam de audacia atque etiam inconstantia in veterum legum verbis immutandis? quid de ea (ut breue faciam) confusione, qua tanquam malus coquus multa iura miscuisse dicitur. Vera haec esse, quae BALDVINVS de inconstantissimi hominis moribus adtulit, vel ex hac doctrina de fratrum querela inofficiosi colligere licet, in qua inigne confusions specimen edidit.

§. XXI.

Videlicet voluisse TRIBONIANVM principiis iuris veteris insistere, cum *Codicem Iustinianeuum* publicaret, vel inde manifestum redditur, quod constitutionem CONSTANTINI in quibusdam secundum iura recentiora immutauerit, qua fratres emancipati a successione haud repulsi fuere. Post primum hunc codicem ipsimet TRIBONIANVS circa successionem plura innouauit, & imprimis fratres vterinos eorumque liberos ad successionem cum germanis eorumque liberis admisit. Edita est haec constitutio anno 532. & sic eo tempore, quo nequidem institutiones publicatae erant, quae demum anno 533. lucem adspexerunt. Unde non mirandum, quod institutionibus non tantum, sed etiam *codici repetitae praelectionis* qui anno 534. promulgatus est, haec noua constitutio de successione vterinorum inserta fuerit, vid. §. 4. I. de success. agn. legit. & l. 14. §. 1. C. de legit. hered. Ita vero edixit Imperator: etiam unum gradum pietatis intuitu transferri a iure cognationis in legitimam volumus successionem: ut non solum fratris filius & filia ad successionem patris sui vocentur, sed etiam germani consanguineae vel sororis vterinae filius & filia soli – scilicet ubi frater & soror superstites non sunt. Quod si hi superstites erant, fratrum sororumque liberi haud succedebant, ne-

D 2

que

Postea ad-
mistr etiam
ad succes-
sionem Tri-
bonianus
cum fratri-
bus germa-
nis vteri-
tos.

Postea ad-
mistr etiam
ad succes-
sionem Tri-
bonianus
cum fratri-
bus germa-
nis vteri-
tos.

que enim iure antiquo ius *repraesentationis* obtinebat; teste
 CAIO *lib. 2. instit. tit. 8. § 6.* Ceterum verba ultima dictae
 constitutionis: *scilicet ubi frater & soror superstites non sunt,*
 intelligenda secundum antecedentem dispositionem. Quodsi
 enim filius uterinae sororis ex gradu cognatorum ad gra-
 dum agnationis translatus est, & sororem ipsam i. e. ma-
 trem, quae gradu praecedit filium, ad eundem gradum
 transferri necessum est, ut recte rationes subducit A COSTA
ad § cit. 4. Ipse imperator postea anno 534. in *l. f. §. 2. C.*
de legit. hered. hunc intellectum constitutioni praecedenti,
 dedit, & ita sancivit: *sed nec fratrem vel sororem uterinos*
concedimus in cognationis loco relinqui; cum enim tam proxi-
mo gradu sunt, merito eos sine ulla differentia, tanquam si
consanguinei fuerant, cum legitimis fratribus & sororibus
vocandos esse sancimus.

§. XXII.

Nec tamen
 expresse
 querelam
 fratrum ad
 hoc nouum
 ius accom-
 modauit.

Quae cum ita sint, merito magnopere demirandum
 est, post has constitutiones fratres sororesque uterinos ad-
 huc exclusos fuisse a querela inofficiosi, nec TRIBONIA-
 NVM legem CONSTANTINI, quam alias in aliis immura-
 uit, ad haec noua iura *expressis verbis*, ut omne dubium
 tolleretur, accommodasse. Serio enim ipsemet doctrinam
 iuris veteris in admittenda querela asseruauit & obserua-
 uit, quod indicat clausula: *agnatione durante vel non.* Et
 nihilominus tamen, postquam uterinos fratres sororesque
consanguineis in successione exaequauit, discrimen anti-
 quum inter *uterinos & consanguineos* in querela non sustu-
 lit, sed incaute constitutionem CONSTANTINI, iam in co-
 dice primo Iustiniano quodammodo immutatum, in codi-
 ce repetitae praelectionis repetiit, antiquumque discrimen
 retulit. Quantum ego quidem auguror, TRIBONIANVS,
 cum

cum haec iura noua conderet, & *uterinos cum consanguineis* exaequaret, non videtur memor fuisse constitutionis Constantinianae, prout fieri solet his, quibus animus varietate rerum est distractus secundum vulgatum illud:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Emendauit quidem in plurimis codicem primum, admodum informem, & multa confusione & contradictione refertum. Enimvero plura adhuc inemendata reliquit, quae corrigi & emendari necessario debuere, cum ipsius & sociorum eius vires facultatesque huic negotio non sufficerent. Aut ergo asserendum est, TRIBONIANVM prorsus corruptisse & adulterasse doctrinam de ordine & iure mouendae querelae, a qua confusione tamen se alienum esse, ipsemet declarauit in saepe adducta clausula: *durant agnatione vel non*: aut vero dicendum, legem CONSTANTINI, ex mente ipsius imperatoris, ad noua haec iura, quibus exaequatio *consanguineorum & uterinorum* facta est, per necessariam consequentiam accommodandam esse sicuti ipse TRIBONIANVS eam ad legem ANASTASII accommodauit id quod probabilis est. Ex hac forsitan ratione in *l. 1. de inoff. testam.* generatim *fratres & sorores* ad hanc querelam admisit imperator, quod nullum eo tempore superesset discrimen inter *consanguineos & uterinos*, & ad *sacras constitutiones* prouocauit, quae non tantum *l. 27 C. d. inoff. testam.* sed etiam *l. pen. & ult. C. de legit. hered.* significat, cum si tantum *cit. l. 27.* intellexisset, vel vnus tantum constitutionis, pro more, mentionem fecisset. Neque vero inde argumentum solidum & stringens desumi potest, quod constitutionem CONSTANTINI in Codice secundo haud expressè correxerit, & ad iura nouiter eidem inserta accommodauerit; id enim per incuriam factam fuisse negari nequit.

Vtrum taceat & per consequentiam.

quit. Accedit, etiam in codice leges posteriores corrigere priores, vt sic *chronologiae* legum accurata habenda sit ratio. Hoc qui negare vel in dubium vocare ausus fuerit, eum ad doctrinam de *vsucapione & praescriptione longi temporis* ablegamus, in qua vsque ad *IUSTINIANI* tempora insignis iurium obseruata est diuersitas, quae tamen postea a *IUSTINIANO* sunt exaequata, vid. *l. vn. C. de transform. vsucap.* Et tamen tot constitutiones, antiqua discrimina referentes, in codice nostro supersunt, quae sine summa absurditate post hanc exaequationem amplius applicari nequeunt. Plura alia specimina hanc thesin declarantia dari possent, si id necessarium esse crederem.

§. XXIII.

In nou. 118. ordinem **BONIANVS**, sed in *nou. us.* successionem ad intestato in succedendi plurimis articulis immutauit, & fundamenta iuris veteris, admodum in ea vsitata, quoad collaterales prorsus sustulit. Aliquoties enim obseruatum est, successionem olim soli *agnationi* mutauit *Iustinianus* fuisse innixam, qua deficiente, demum iure praetorio *agnati* vocati sunt. Et quia per *querelam inofficiosi* actor id vnice agit, vt ostendat, se per iniuriam summamque iniquitatem esse a successionem exclusum, euidens est, secundum ordinem huius successionis eam moueri debuisse. *l. 6. §. 1. D. de inoff. testam.* Qui enim nullam succedendi spem ab intestato habebat, ille nec iniuriam accepisse dici poterat, nec si vel maxime *casu* obtinuisset, fructu victoriae suae gaudere valebat. Hoc vero discrimen inter *agnationis & cognationis* ius sustulit *IUSTINIANVS* in *nou. us. c. 3.* & simul in querela fratrum non leues induxit difficultates. Videlicet quoad *fratres* hoc nouiter constituit, 1) vt cum ascendentes concurrerent, quatenus ex vtroque parente con-

coniuncti defuncto fuere: II) deficientibus ascendentibus, primi ad hereditatem vocentur fratres & sorores, ex eodem patre & eadem matre nati, imo & fratrum sororumque germanorum praedefunctorum liberi iure repraesentationis: III) his quoque deficientibus, demum fratres *unilaterales* h. e. qui ex vno parente coniuncti sunt defuncto siue per patrem solum, siue per matrem, admitterentur, adeoque etiam fratrum germanorum liberis tantum existentibus postponerentur: Denique IV) vt in posterum omnis differentia *agnatorum & cognatorum* quiesceret. Hoc modo insignis immutatio iurium antiquorum facta. Nam *a) germani & consanguinei* stricte dicti, qui olim eadem in successione iura habuere, prorsus diuersa acceperunt iura: *β) fratrum germanorum liberi* praelati sunt fratribus consanguineis defuncti, qui olim iis postponebantur: *γ) olim consanguinei cum germanis parentibus* praeferebantur; iam vero germani quidem simul cum parentibus concurrunt, sed consanguinei prorsus a parentibus defuncti excluduntur: *δ) veterini cum consanguineis* exaequati sunt, quos quidem IVSTINIANVS iam in *l. f. §. 2. C. de legit. hered.* exaequauit, sed tamen in hac nouella demum post fratres germanos eorumque liberos ad successionem vocauit.

§. XXIV.

Hac metamorphosi introducta, necessario quoque fratrum *consanguineorum* iura in mouenda querela, quae a successione ab intestato dependent, mutari & transformari debuerunt. Quamuis enim IO. HENRICVS FVCHSIVS in *diff. de impugnat. testam. fraterni per querel. inoff. c. II. §. 8.* nullam immutationem hic agnosceret vellet cum SICHARDO ad *l. 27. C. n. 5. de inoffic. testam.* & ille quidem existimet, validum a successione ab intestato haud potest duci

Ordo in fratrum consanguineorum querela simul quomodo mutatus est.

duci argumentum ad querelam inofficiosi; *hic* vero urgeat, quod iura noua, quae discrimen inter *agnationem* & *cognitionem* sustulerunt, sint intelligenda de successione intestata, cum hic versemur in successione testamentaria, vtriusque argumenta tamen parum ponderis habere videntur. Ad primum enim quod attinet, supra tum ex origine, tum ex progressu huius querelae vsque ad tempora *IUSTINIANI* ostendi, omnino validum ducendum esse argumentum a successione intestata ad hanc querelam. Huius primum fundamentum erat, quod his, qui ab intestato succederent, iniuria facta esset per iniquam & improbam exclusionem, *l. 8. pr. D. de inoff. testam.* adeoque absurdum esset, si hi de iniuria facta conqueri vellent, qui ius succedendi haud haberent. Obseruauit id accurate *FRANCISCVS CONNANVS lib. 9. comm. iur. ciu. c. 9. n. 1.* asserens: *Hoc tamen in omnibus istis generatim dicendum est, ut hanc demum habeant actionem, si ab intestato erant successuri: quod si ii, qui primo vocantur ad successionem, nolint agere, aut non possint, sit locus iis, qui secundo gradu sunt. Et ita deinceps vsque ad eos, quibus ius querelae lex dedit.* Neque enim alia ratio excogitari potest, quare *consanguinei* cum *germanis* simul ad querelam olim admissi, *uterini* vero repulsi, quam quod illi quidem olim iure *agnationis* coniunctim succederent; hi vero *agnatis* exstantibus, nullum successionis ius, ne quidem iure praetorio, haberent. Alterum argumentum, quod *SICHARDI*: est, iidem robore suo destituitur. In querela vnice intenditur successio intestata, imo ipsa querela nihil aliud est, ut supra obseruauimus, quam *petitio hereditatis, qua petitur hereditas ab intestato, aut certe res ad causam intestati reditura est, testamento inofficioso pronunciato*, ut recte ait *HVGVS DONELLVS lib. XIX. c. 8.* Addit vero satis notanter: *Proinde qui ordo, quae.*

quaeue successio ab intestato inter liberos, parentes, fratres defuncti futura esset, eundem ordinem, eandemque successio- nem inter istos esse oportet ad querelam inofficiosi mouendam, quod & placuit. Cum ergo iure nouo ordo succedendi prorsus immutatus sit, consequens est, vt idem quoque ordo in querela mouenda hodie obseruari debeat.

§. XXV.

Quodsi itaque fratrum *consanguineorum* ius circa que- relam mouendam hodie intuemur, eius causam deterio- rem factam fuisse fatendum est. Nam I) si parentes & fratres in testamento tantum praeter meritum exclusi, hi quidem iure nouo simul querelam mouere queunt, cum paria & aequalia prorsus iura in successione ab intestato habeant, modo tamen intuitu *fratrum* turpes personae fue- rint scriptae; *consanguinei* vero ad hanc querelam simul occurrere non possunt, quia cum fratribus germanis ho- die non amplius simul succedunt. Eo ordine enim que- rela datur, quo succeditur, prout *edicti successorii*, quod etiam hic locum habet, postulat ratio. vid. *l. 14. & l. pr. de inoff. testam.* II) Si frater germanus exheredatus est cum *consanguineo*, solus germanus hodie querelam mouet, quod ni- rursus *edictum successorium* postulat. LAVTERBACH de *inoff. testam.* §. 21. III) Si fratrum germanorum liberi vna cum *consanguineo* defuncti fratre exclusi sunt a testa- tore, soli fratrum germanorum liberi ad querelam admit- tuntur, quia paria cum *germanis* iura in successione acce- perunt, & praeterea *consanguineis* praeferruntur. Iure veteri id minime admissum fuisse noui. Expresse in *l. 21. C. de inoff. testam.* dicitur: *fratris vel sororis filii testamen- tum inofficiosum frustra dicunt.* Enimvero dispositio haec antiquum succedendi ordinem praesupponit, quo fratrum

Proinde
1) hodie
cum paren-
tibus ger-
mani non
consanguini
querelam mo-
uent.

2) Germa-
ni hodie ex-
cludunt
consanguineos.
3) Fratrum
germano-
rum liberi
excludunt
consanguineos.

E li-

liberi cum fratribus defuncti haud admittebantur, imo *consanguineis* illi postponebantur. Iam vero ordo immutatus est, & fratrum germanorum liberi *consanguineis* praelati, adeoque sicuti illi paria cum fratribus germanis acceperunt iura in *successione*, pari iure quoque admitti debent ad *querelam*. Si enim ad iura noua ordinem *querelam* mouendi accommodaueris, male cohaerentem iuris prudentiam effeceris. Finge scripsisse aliquem in suo testamento turpem personam heredem, exheredasse vero fratrum germanorum liberos & *consanguineum* immerentes, neuter sane *querelam* mouebit, si iuri antiquo insistere velis. Neque enim fratrum liberi agere possunt, quibus denegata est iure veteri *querela* per *l. 21. cit.* multo minus *consanguinei*, qui quidem admitti possent per *l. 27. C. de inoff. testam.* verum fratrum liberi eis obstitunt, qui eos a *successione* excludunt. *Quicumque autem*, ait LAUTERBACH *ad tit. de inoffic. testam. §. 21. aliquem excludit a successione, etiam excludit illum a querela.* Fac enim, *consanguineum* egisse & testamentum rescidisse, inaniter & frustra egit, quia ipsi victoria prodesse non posset, sed iis qui ab intestato succedere possent, quia intestatum patrem familias fecisset *l. 6. §. 1. d. inoff. testam.*

§. XXVI.

An *consanguinei* hodie adhuc *querelam* habeant.

Denique IV. si soli *consanguinei* & *uterini* adsunt, a defuncto vero exclusi, grauior ratio dubitandi exurgat: α) vtrum adhuc hodie *consanguinei* admitti debeant? β) si admittendi, vtrum soli, an vero cum iis *uterini*? γ) si soli admittendi, vtrum victoria *consanguineorum* *uterinis* proffit, vt simul ab intestato succedant? Primum quod attinet membrum, contra *consanguineos* pugnare viderur, quod olim ideo cum *germanis* admitti fuerint ad *querelam*, quia
pa-

paria cum iis iura succedendi habebant consanguinei. Immutato vero hoc iure, & consanguineis post fratrum germanorum liberos collocatis, querelam quoque amisisse videntur, praesertim cum exaequati sint iure nouo *utrimis*, quibus querela denegata est. Verum nihilominus consanguineis ius saluum mansisse autumo. Generatim constitutum est, querelam fratribus & fororibus concedendam *l. 5. l. 21. l. 27. C. de inoff. testam.* praeter illos vero neminem eorum, qui ex transversa linea veniunt audiendum esse. Quamuis itaque, post fratres germanos eorumque liberos in successione collocati sint, ius querelam mouendi tamen retineri potuerunt, modo fratrum liberos simul ad querelam admittamus, prout antea demonstraui. His enim exclusis, non possunt amplius *consanguinei* ad querelam admitti, cum admodum inconueniens sit *priorem in successione* a querela arceri, & *sequentem* demum admitti, quod iuris ratio non permittit. Et tamen hanc inconuenientiam probat *LAVTERB. ad tit. de inoff. testam. §. 21.* & plura *adducta* adstruit. Negat fratrum germanorum liberos ad querelam iure nouo admittendos; consanguineos tamen adhuc admittit; rursus tamen negat, hos cum germanis coniunctim iure nouo agere de inofficioso posse, ex hac ratione, quod *quicumque aliquem excludit a successione ab intestato, etiam illum a querela excludat.* Ita vero in propria faeuit viscera; cum enim fratrum germanorum liberi successione consanguineos excludant, merito quoque eosdem arceri a querela debent, vt antea iam obseruaui. Si ergo hodie *fratrum germanorum liberos*, in successione priores, excludis a querela, simul repellis *consanguineos*, in successione posteriores: si vero, prout ratio iuris nouit poscit, eos querelae quoque participes facis fratrum *consanguineorum* iura quoque illibata conseruas. Sed reuerentia iuris

ris veteris adeo plerorumque occupavit animos, ut malint absurdorum cumululum augere, quam cohaerentem tradere iurisprudentiam.

§. XXVII.

Verum veterini hodie ad querelam cum consanguineis admitti possint.

Alterum membrum, quod concernit, *uterinos* cum *sanguineis* simul ad querelam admittendos esse censet HOT-TOMANNVS *disp. de quarta legitimaria c. 2. §. 13.* (quae *tom. I. oper. eius p. 686.* exstat) ex hac ratione, quod quia IUSTINIANVS in *nov. 118.* eam differentiam *uterinorum* in successione ab intestato iustulerit, probabilius sit, eam hoc casu quoque sublatam esse. Iam olim etiam AZO ad *tit. C. de inoff. testam. n. 13.* hanc sententiam amplexus videtur; praemisso enim iure utri de exclusione *uterinorum* subiungit: *Hodie forte non distinguuntur consanguinei ab uterinis.* Nec alienus ab hac sententia videtur DONELLVS *cit. l. ubi ordinem successorii edicti* format secundum ius novum, eumque ad querelam mouendam applicat. Neque enim hodie ad ius antiquum amplius prouocari potest, quod ideo excludebat *uterinos*, quia prorsus non succedebant, nisi deficientibus omnibus agnatis iure praetorio. His vero iure nouo cum *consanguineis* exaequatis, idem ius quoque quoad mouendam querelam habere deberent, sicuti olim quoque *consanguinei* cum *germanis* ideo idem ius in mouenda querela inofficiosi habebant, quod pari iure ab intestato succederent. Qua de causa quoque idem dicendum arbitror, si soli tantum *uterini* adsunt, quia iure nouo *iure consanguineorum* frui debent, sublato illo discrimine, quod olim ius antiquum ex ratione *agnationis* inter *consanguineos* & *uterinos* induxerat. Haec si vera sunt, uti omnino sunt, a tertia quaestione eo facilius abstinere possumus, quae iam otiosa est, & per se cessat. Equidem plerosque

in.

interpretes huic secundum ius nouum efformatae dispositioni reclamare noui; noui tamen etiam, veritatem non ex auctoritate docentium sed ponderibus rationum aestimandam esse. Proinde antequam riuos claudam, dissentientibus generatim illud CIGERONIS lib. I. de legib. commendo: *an tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequere, sed auctoritati aliorum pareas?* & ita sedato animo finem huic meditationi impono.

S. D. G.



37

interioribus hinc locutionibus suis novum efformavit dicitur
tunc restituitur hinc non tantum certum, verum etiam ex
necessitate hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur
dicitur hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur
hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur
hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur
hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur
hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur
hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur hinc dicitur

S. D. G.



ULB Halle

003 133 117

3



Retro ✓





DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
Q V E R E L A
IN OFFICIOSI FRATRVM
CONSANGVINEORVM,

Q V A M
INDVLTV INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
P R A E S I D E
DN. IVST. HENNING. BOEHMERO, Ic.
POTENTISS. BORVSSOR. REG. A CONSILIIIS INTIMIS
PROF. PVBL. ORD.

PATRONO SVO OMNI ANIMI SVBMISSIONE COLENDO,
P R O L I C E N T I A
SVMMOS IN VTROQVE IVRE OBTINENDI HONORES,
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
D. IANVAR. MDCCXXI.

H. L. Q. C.
ERV D I T O R V M E X A M I N I S V B M I T T I T
M. IOANNES PAVLVS TÜRCKE,
ALTENBURGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.
M D C C X X I I.

5)

